



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita Et Institutio S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris.
Libri Qvinque**

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1665

XXIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10840

catus aliquando nescio quis ad S. Ioannis in Laterano, fecit quod homines in terram curui dum sibi arrogant, de viris Deo cœloque assuetis sententiam dicere; & Francisco Stradæ qui facienti Ignatio ministrabat tam secreto quàm stolidè in aurem; prorsus, ait, fieri non potest, tuus iste Sacerdos, quin sit, aut fuerit, omni ex parte sceleratus, toto enim quod peregit sacro, illacrimari non desit, rodentibus opinor diro morfu ream eius mentem flagitiis. Ita quidem is de triuio censor, pronuntiaturus ni fallor sanctum, si vt viderat lugentem sic vidisset inter celebrandum effusus ridentem. Hac autem vi tanta lacrymarum, in dies oculos grauius adurente, ne illos omnino extingueret, iubentibus medicis à Deo impetrauit vt possèt iis moderari, sed tam mirabili potestate, vt pro imperio cieret illas, vel premeret.

Postremum hic edo argumentum, eius caritatis qua iucundè arsit Ignatius; deliciarum quibus abductus à sensibus; familiaris cum Deo consuetudinis qua potitus est maximè singulari. Do illud vt promiseram ex paucissimis illius autographis schediis, in quibus pro more quotidie sua cum Deo intima adnotabat, & quæ manum ipsius dum reliqua vreret fugerunt, ex annis quinque, & triginta quos sanctus exegit, menses vix quatuor habemus iis aduersariis consignatos, eosque plurimum scriptis adedò concisis, & breuibus, vt videantur notarum compendia: vbi vero lucem curiositas maximè optaret, adedò obscuris, & sermone pendente, ac mutilo, vt possit ad marginem multis locis adscribi, quod Prophetis sæpe necesse est *tenebrosa aqua in nubibus aëris*. Sunt ergo quæ reddo ipsa sancti verba ex chirographo Hispanico Latina.

Huiusce dici lacrymæ, visæ sunt mihi præteritis multum dissimiles, ita lento affluxu aderant, interiores, dulces, absque magno strepitu, & motione; tam vero altè ab intimo, vt non suppetat qui illud explicem: totum vero me ad Dei amorem commouebant interior, exteriorque affatus cuius mihi concessi diuinitus tanta interior erat harmonia, vt eam non possim exponere. Die insequenti, vt ante proximo, vbertim lacrymæ in sacro, & sub sacrum, & cum his eiusdem interioris affatus vsus fructus; qui sermonem, & concentum cœli, similitudine referebat: crescente mihi cum lachrimis sensu pietatis, & affectu, cum me vt diuino cognoscendi, & intelligendi modo animaduertem Postridiæ quoque magna copia lacrymarum, interiorque affatus mirabilis.

Virgini supplicans, vt mihi apud filium, & Patrem adesset; post vero filio, vt me cum filio, sua apud Patrem diuinum, commendatione dignaretur: sensi me attolli in conspectum Patris, capillos arrigi, commoueri vniuersum corpus ingenti ardore, quem consecuta lacrymæ cum sensu pietatis vehementissimo.

In ipso precandi aditu, cum multa vbertate, & profusione lacrymarum, cum intensissima pietate, & crebra intelligentia, perceptioneque SS. Trinitatis, harum, & similiarum perceptionum atque notitiæ tam erat frequens,

quens, & tanta iucunditas, vt me ad eam explicandam memoria, ingeniumque deficiat.

Tantam expertus sum cognitionum, congressuum, gustuum diuinorum exuberantiam cum perpetuitate lachrimarum, & vocis deliquio, vt Deum, & Dominum quoties nominarem, videretur mihi animi penetrabilia subire, cum obsequio, & admirabili humilitatis reuerentia; vt videatur inexplicabilis.

Post orationem, noui motus interiores isque insoliti, singultus, & lacrymæ, totus in amore Iesu: verbis, votisque præoptando cum illo mori, quam cum vilo alio viuere.

Dum paratur altare, & occurrit animo Iesus, sentiebam me agi ad sequendum illum, reputabamque intra me rationem summæ paupertatis eligendæ, hanc esse humana qualibet maiorem, quod Iesus Societatis esset caput. Cum rediret in mentem Patrem me filio suo consignasse: hoc consilio, vt imprimeretur mihi tam altè Iesu nomen, & tantoperè confirmaretur, succurrebat noua lacrymarum, & singultuum copia.

Colloquenti mihi cum diuina Maiestate obortus est fletus ingens, amorque tantus, vt viderer mihi supra omnem modum cum eius amore coniungi, nec tam excellenti eatenus, rara, & amoris tam lucidi dulcissimæ gratia potitum. Postea, etiã in facello nouæ lacrymæ, nouique sensus pietatis in SS. Triadem semper desinentis; ad altare autem sacris vestibus induto, affluxus lacrymarum maior, singultuum, & intentissimi amoris; omnia erga SS. Trinitatem. Rem vero sacram facienti, tantus diuinorum sensus, tot lacrymæ, vt pergens ambigerem an essem pergentibus lacrymis iacturam oculi factururus, adeò ex fletu immodico dolebat. Ad ea verba *Placeat tibi sancta Trinitas* occupatus sum immenso amore, & exundatione ardentium lacrymarum, & hæc aliæque de cælo gratiæ tendebant omnes in SS. Triadem à qua deducebar, & in eius amorem trahebar. Re diuina peracta, iam sacris exuto, & oranti haud procul ab altari, noui singultus, & lacrymæ, omnes ex amore Trinitatis, erátque illius amoris tanta suauitas, vt non possem inde abscedere, reliquo etiam ex in die domi, & per urbem redibant amoris impetus vehementes, motionesque ad lacrymas, repetitã memoriã Beatissimæ Trinitatis.

Colloquens cum Spiritu sancto, vt sacrum de illo facerem, cum iisdem lacrymis, & sensu pietatis, videbar illum videre, ac sentire in claritate expressa, & flammæ igneæ colore, modo insolito.

Dum instruitur altare, ac postea, & sacris ornatum, & sacrificantem, cum magnis interius motibus, & ardentibus lacrymis, & singultibus vox saepe defecit, tum insignis auditus, & conspectus Domine nostræ apud Patrem mihi multum propitiæ. Ita, vt in orationibus ad patrem inde ad filium, & in consecratione, non possem non audire ac cernere, cum sit ipsa pars, aut ianua eius tanti fauoris quo intus fruebar (nempe illa monstrante,

strante in filij carne suam quoque inesse) cum tam multiplici intelligentia vt scribi non possit.

Precationis consuetæ initio ad finem, magnos sensus percepi & multum lucidos pietatis. Extra domum, in templo, & celebrans, vidi cœlestem Patrem, aut eius Dominum, personarum trium intelligentia, & in Patre secundam, & tertiam.

Suscepta luce quadam, & corroboratus, dum intrarem sacellum precaturus, sensi, aut vidi potius virtute supernaturali SS. Trinitatem, & Iesum obiectum mihi tanquam intercessorem apud ipsam, vt mentem meam hoc viso dignaretur, cuius rei auditu ac visu obortus mihi est ingens fletus, magnæque amoris plenitudo. Sacram rem faciens multis cum lacrymis piisque sensibus, vno præsertim loco, eadem quæ prius SS. Triadis, species mihi obiecta est, semper cum accessione amoris erga diuinam Maiestatem.

In sacro ad illud *Te igitur*, sensi, vidique non obscure, sed clara in luce, imò valde clara, etiam ipsum, siue essentiam diuinam, in speciem solis, aut paulò supra quam nobis sol comparet, ex qua essentia videbatur exire, & deduci Pater. Itaque dicenti. *Te igitur clementissimè Pater*; obiciebatur prius essentia diuina quam Pater, & in hac mihi obiecta specie, aspectuque essentia SS. Triados, absque distinctione personarum, vehementi sensu erga rem quæ mihi representabatur affectus sum, cum ingenti motu, & profusissimis lacrymis, amoræque versus esse diuinum SS. Trinitatis vehementissimo. Sacro inde peracto, dum oro ad altare, idem se mihi diuinum esse, seu visum idem quod prius se mihi obiecit, in modum spheræ, & modo quodam ita personas tres sicut primam cernebam, istoque aspectu, ac sensu, nouis potiebar affectibus, & lacrymis.

Etiã in sacello, implente animum affectu magno, erga SS. Trinitatem, cum magno amoris cumulo, & vehementibus lacrymis, non vidi, vt aliis retro diebus, distinctas personas, sed velut in lucida claritate vnã essentiam, quæ tota me in sui amorem rapiebat: sacrum inchoans, non poteram præ immenso affectu pietatis, proferre. *In nomine patris*, &c. totum exinde sacrum cum summo affectu, profusissimis lacrymis, & amore qui totus in SS. Trinitatem ferebatur: idem pariter aliquando erga Iesum sensi, velut eius in umbra, & ductu esse, haud vlla tamen propterea imminutione vnitate cum Dei maiestate, sed magno potius eius incremento.

Magnos hausi sensus pietatis, dum ad sacrificandum me pararem, animo reputans ad hoc opus fore, vt essem angelo similis, nec defuere suaves lacrymæ. Inde aliquoties vidi, nunc quidem patris essentiam, primùm essentiam, tum patrem; pietatis affectu prius essentiam, tum patrem spectante; nunc vero alia ratione, ac sine distinctione huiusmodi.

In sacro sæpe sapius subsistens, cum varia multaque notitia SS. Trinitatis, quæ tanto lumine mentem peruadebat, vt posse non crederem, diuturno studio tantum scientiæ mihi accedere. Alias in oratione, cum magno sensu pietatis, & ardenti caritate, gustuque diuinorum, ad hoc ex parte,

vt me quodammodo attolleret tendente, postea in sacro, lacrymæ quàm ante fusiores, interdum voce interclusa, tot ac talibus interim de SS. Trinitate perceptis vt quod præterea de illa caperem nihil videretur superare.

In hoc sacro cognoui, sensi, & vidi *Dominus scit*. Me de patre loquentem, & agnoscentem personam esse SS. Trinitatis, illius amore hoc enixius affici, quod inessent illi speciatim aliæ personæ, idque experiebat etiam in oratione ad filium, & Spiritum sanctum, eorum singulis perfruens, iisque me deuouens, & trium illorum esse me gestiens. Tanta mihi res videbatur, vt finem non facerem confundendi mei, quis tu? & quid promeritus? & vnde hoc tibi?

Sacris operans cum singulari pietate, lacrymis, & ardore, oppresso nonnunquam etiam sermone, dum Patri supplicarem, videbatur Iesus preces illi meas offerre, illasque adiuuare, eo sensu ac visu qui non potest exponi.

Stanti mihi ad focum, redibat iterum in oculos Iesus, post etiam in vrbe ac per vicos, eunti redeuntique à Cardinali Carpenfi, locisque aliis, spectabilis aderat, multis lachrimis, multisque animi motibus affluebam. Quo tempore, Iesum audiens, ac videns, tanto amore incendebar, vt fore vnquam tam potens aliquid non putarem, quod me possêt ab eo se iungere.]

XXX.
*Desiderium
moriendi ad
videndum
Deum.*

His oblectabatur deliciis Ignatij animus, præcerpebatque iam aliquid de immortalium gaudiis; quorum denique summa, & caput est Deo frui cognito, & amato. His recreabatur eius vita, & retinebatur fomentis continuis, cum quibus vbi deficerent, defecturam pariter aiebat vitam: neque vero his ipsum diuina bonitas, larga manu beare, in vltimos distulit vitæ annos, cumulata iam aucto caritate. Ex quo sæculo valedicens, Deo nomen dedit, paucis etiam mensibus, quos egit Manresæ in luctu pœnitentis, tam crebro se illi præsentem Christus, spectabilémque exhibebat, vt Ludouico Gonzales dixerit haud satis meminisse, vtrum id vices, an quadragies accidisset, & Virginem quoque Dei matrem, non raro ab se fuisse conspectam: ex quibus cætera non difficulter assequimur ab eo tacita, qua tractu annorum quinque, & triginta, in hoc genere illi cuenerunt, crescente in dies auctu perpetuo illius caritate. Iam pro illo quod ex se poterat in Dei gloriam proficisci ad animarum quæstum obsequio, quo nihil ipsi erat in vita carius, cum ab se non prorsus impetraret, vt discessum è vita peteret; precum tamen vices obibant flammæ ardentis in eo diuini amoris, quæ morantem in Deum trahebant, poscebântque votis flagrantibus absolui animum tenui vinculo, quo adhuc corpori hærebat. Vnde illa eius consolatio gaudio suo impar, ex sola mortis cogitatione, ex qua illi tantum affluebat beata voluptatis, vt soluerentur in fontes oculi, æstualet pectus extra modum, essetque necessariò animus aliò auocandus, quod eius non esset sat capax gaudij, nec ei valeret imperare. Vt autem infiniti conscius, &

amans